





10  
16  
**DE  
GERMANORVM ERGA FEMINAS  
OBSERVANTIA.**

**LECTIO UT VOCANT CVRSORIA**

**DISSERTATIONI IN AVGVRALI  
PRAEMISSA**

**ET**

**IN SPLENDIDO  
DOCTORVM MARBURGENSIVM  
CONSESSV**

**RECITATA**

**A**

**IOANNE FRIDERICO PLITT.**

---

---

**MARBURGI CATTORVM  
EX OFFICINA BAYRHOFFERIANA.**

**1784.**



GERMANIA REGI TERRA  
OSSERVATORIA

ALBIONIS CIVICIS ET RURALI

IN INDIIS INDIAE OCCIDENTALIS

PERUANIS MEXICANIS ET TOTICO

YUGOSLAVIAE ET ALPINIS

ET ALPINIS

PERUANIS MEXICANIS ET TOTICO

YUGOSLAVIAE ET ALPINIS



Ερινον ανδεὶ πλακα, συμπάθετος γυνώ.

Γονι γαρ οι κακοῖς και νοσοῖς ποτε

έδισον εστι, δοκεῖ η αιγή καλως.

Οργη τοι πειθανοῦσα και δυσθομίαν

Ψυχὴν μετέστησε θόνη, και αποτία φίλων.

Euripides apud Stobaeum.

Inter nobilissimos quibus optima natura nos beatit sensus, eximior sine dubio sensus pulcri est, qui, quantacunque sit de eo eiusque effectibus sententiarum varietas, primis tamen et praestantissimis eorum qui intellectu ac voluntate instructi sunt affectionibus, iure quodam suo annumerandus est. Quemadmodum vero omnia, quae in oculos incurunt, formae humanae pulchritudine longe superantur, ita et nihil, experientia quotidiana teste, est quod animum tam fortiter feriat, tanquam voluptate perfundat, quam formosi corporis humani conspectus; nec ylla, quae non idem sentiret, per torum. quam late paret, terrarum orbem, hucdem reperta est natio. Quia in re quamvis ex varia animi corporisque conditione multum oriatur discriminis, illud tamen inter omnes constat, naturam, quid efficiere possit, in homine, praesertim feminie sexus, videri expertam, et

A

medium



medium quasi inter pulcritudinem coelestem terrestremque **vo-**  
luisse constitvere. Quid mirum igitur, a plurimis gentibus,  
pulcro corpori, nobilem quoque mentem coniunctam esse,  
existimantibus, sexum muliebrem, tanta fuisse religione cul-  
tum; quid mirum inter veteres adeo Gallos concilium feminarum exsistisse, penes quod de rebus grauissimis, ad rem publicam pertinentibus, iudicandi erat facultas. Nec dubitari potest,  
quoniam, quo maior feminis in gente quadam habeatur honos, in-  
nocentiores sanctioresque euadant iuuenes, tranquilliores mitio-  
resque senes. Quum enim viris, vrpote ad maxima et grauissi-  
ma quaeque natis, mores rigidi a natura inditi sint atque feroce,  
feminarum id esse videtur, vt hos emolliant, nec nimis effe-  
rari patientur. Cui rei quantopere inserviant, historia omnium tem-  
porum testatur, innumeris exemplis docens, eas nationes, quae  
sexui muliebri debitum honorem denegent, er ad seruarum con-  
ditionem ac nudi ministeria eum derrudant, humanitatis, morumque  
comitatis plane expertes esse. Contra, quibus ab in-  
eunte aerate honesta cum honestis feminis familiaritate vti contigit,  
nae! isti genii teneritudine, morumque elegantia et castitate, satis  
se omnibus commendari, sentient.

Quid enim, vt ad maiores nostros propius accedamus, fuit  
aliud, quod tam valida atque vasta veterum Germanorum effe-  
cit corpora, vigoremque eorum ad summam vsque senectutem  
conseruauit? Quamvis enim negare non ausim, rationem et ge-  
nus vitae, quod inter illos obtinuit, multum ad hoc profuisse, id  
tamen facile mihi largientur omnes huius rei non ignari, adolescen-  
tiam eorum caste sancteque peractam, et omnino reuerentiam,  
quam feminis exhibebant, vel in primis huc referendam esse. \*)

Sane

\*) Praeclare eam in rem Tacitus de mor. Germ. cap. 20. Sera iuuenum  
Venus, eoque inexhausta pubertas, nec virgines festinantur; eadem iuuentu-  
familis proceritas. Pares validaeque miscentur, ac robora parentum liberi  
referunt.

Sane pulcritudine virginum suarum adeo capti erant veteres Germani, ut contumelia illas afficeret, religioni sibi ducerent, ut dulcia coniugii vincula summum virtutis bellicae praemium arbitrarentur, et huic solum intenti, in densissimas hostium cateruas irruerent, pro patria sponsisque vel victoriā reportaturi, vel honestam mortem occubituri. Neque, si ignauiam excipias, ab illo vito magis abhorrebant, quam ab impudicitia; fortitudinem patriae, pudicitiam feminae dicantes. Tam altas in animis eorum admiratio pulcrae formae radices egerat, tanto honore summam in his terris venustatem prosequebantur! Eo iniquior merito habenda est adiutorio doctissimi caeteroquin episcopi Sidonii *Apollinaris*, Germanorum animi sensa aequa ac corpora, rigida affirmantis; quod ipsum tamen ut ex alio loco patet, non nisi de violato decoro et de subtiliori sensu gustuque pulcri intelligentum esse vult.

Agite igitur Viri Doctissimi! immoremur huic rei paululum, operaen enim pretium facturus videor, si.

*De Germanorum erga feminas obseruantia*  
pro temporis ingenique modulo, ad Vos verba fecerim. Adolescentibus quidem, haud equidem ignoro, rectius ea dicentur quam viris; sed quidni etiam viros, olim adolescentes, harum rerum saltē meminisse gaudeat?

Historiam intentiori cura percurrenti ignotum esse non potest, plurimas gentes incoltas id demum pulcrum existimare, quod splendore quadam hilarique colore conspicuum oculos percellit, illam vero pulcritudinem, quae proportione aut comparatione cum aliis rebus instituta efficiatur, plane ignorare. Quod quamuis experientia constat, tamen de maioribus nostris non omnino affirmari potest; quippe qui pulcritudinem formae humanae in lineamentis maioribus, a regula tamen non abhorrentibus, oculis claris atque caeruleis, capillis promissis flauisque, cute candida, habitu denique corporis graciliōri solūmmodo positam esse arbitraren-

trarentur; cui quidem rei quotidiano aspectu ita adsueuerant, vt non facile inueniretur, qui aliter sentiret. Romani, ex quo pri-  
mum Germanos nosse, et quamvis multos eorum in captiuitatem abduxerint, magni aestimare coeperunt, flavis eorundem capil-  
lis mirifice delectati sunt; feminae autem eorum, timentes sibi a  
venustate captiuarum, quod natura denegauerat, arte sibi com-  
parare conatae sunt. Qui mos quum multorum iudicio atque  
imitatione comprobaretur, sensim sensimque apud omnes pene  
inualuit, et facie germana, sive oculis caeruleis capillisque flavis  
insignem esse, vnum idemque fuit. *Ausonius* igitur quum *Bis-  
fulae*, virginis *sueicæ* adulatorem vellet agere, nil ad eam rem  
aptius dici posse ipsi videbatur, quam si linguam *romanam*, fa-  
ciem autem *germanicam* ei tribueret. Quin imperatoris *Fride-  
rici III.* temporibus, ea demum inter Germanos pulcherrimæ  
nomen meruit, quæ flava coma emineret. Felices, terque qua-  
terque beati sibi videbantur puerilla flaticoma, quam et ante et  
post celebratas nuptias summa reverentia, tererrimoque inde  
affectu prosequebantur, externam eiusdem venustatem, vt pote  
multarum aliarum virtutum longe maioris pretii comitem et in-  
dicium, in summis deliciis habentes.

Ne tunc quidem, quum congregendum ipsis cum hoste  
erat, dulcissimarum coniugum immemores, bis videbantur mori;  
si in acie cadentes, ab iisdem essent remoti. Nam vt imbellies  
et ignavi de amore cogitantes magis etiam effeminantur, isti  
vero, quibus feroes sunt animi, plus virium ab ea re mutuari  
solent, ita et maiores nostri conspectu feminarum, magis quam  
carminibus bellicis et barditu, ad fortitudinem excitati, quum  
ab irruente hoste vrgerentur, et iam fugae locum circumspice-  
rent, ab vxoribus castigati, reprehensi atque excitati, nouis ani-  
mis proelium capeſſebant, non nisi victores ex eo redeuntes.  
Quodsi vero vulneribus obſiti ab hostibus essent prostrati, in  
ipso mortis articulo, quicquid supererat virium colligebant, vt  
matres

materes & coniuges, vulnerum magnitudinem numerumque finentes, possent exaudire. \*) Ex quo quanti ficerint feminas, cuius facillimum erit intellectu.

Minime igitur dubitaverunt Germani, ad ardua quaevis periculorumque plena se accingentes, comites secum ducere vxores, ad quas cum secundarum tum aduersarum rerum aquam pertinere partem arbitrantes, in conspectu earundem mortem occumbere, dulce & decorum rari sunt. Nec facile Germanorum quisquam id consilii datus fuerit, cuius referente Tacito \*\*) Seuerus Caecina auctor fuit, „ne quem in proelium iturum vxor comitaretur.“ Persuaserat enim sibi dux iste Romanorum, ineffe mulierum comitatu, quae romanum agmen ad similitudinem barbari incessus conuertant. Germani contra iure quodam suo gloriarri potuerunt, se feminarum aspectu animos magis viriles sumere, quam debilitari.

Arque ea obseruantia bellicissimae Germanorum feminae, quae subsequenti tempore laesum honorem etiam certamine singulare — Duell — reparare non dubitarunt, dignissimae fane fuerunt. De quo haud facile quisquam dubitarit, qui rarum illud aliquique nationibus inauditum plane amoris coniugalis exemplum, a Germanorum vxoribus in tristissima clade, qua Cimbros Teutonesque afficit Marius, editum, animo perpenderit. Quo tempore exconiunctis vehiculis propugnacula, praeter canes mulieres defendisse legimus, quae, quum nec diuinius resistere, nec a Romanis impetrare possent, vt inter virgines Vestales cooptarentur, ne captiuorum corpora lascivi victores profanarent — libertatem ante

A 3

vitam

\*) Ad mares, ad coniuges vulnera ferunt, nec illae numerare aut exigere plagas paudent. Tac. I. a. c. 7. Quasi taxare, verba Gronovi sunt — ac plus aut minus virtutis in illis agnoscere.

\*\*) Annal. 3, 33.



vitam, pudicitiam ante vitrumque ponentes — manus violentas  
sibi ipsae iniecere. \*)

Quid mirum igitur, inclinatas Germanorum acies feminarum pertinacibus precibus, pectoribusque nudatis saepenumero esse reuocatas, & omnia quaque maluisse experiri, quam ut carissima ista pignora, diro victoris arbitrio permitterent. Vt enim cognoverant Germani, quam tristis capiuarum inter effeminatos Romanos fors esset, quod quidem eo magis extimescebat, quo maiori religione ab ineunte adolescenza pudicitiam seruarant. *Intra annum viceimum — Iulii Caesaris verba sunt —*  
*feminae notitiam habuisse, Germani in turpissimis habent rebus.* — Quid? quod fidem coniugibus debitam tam sancte custodiunt, ut sponsalia secunda in turpibus & minus honestis referant, quod nobilis excelsique animi argumentum esse, omnino existimat. Inde paucissima in tam numeroſa gente adulteria, quorum poena praefens & maritis permitta. Accisis crinibus — quae summa apud eam gentem putabatur ignominia — nudatum, coram propinquis expellebat adulteram domo maritus, ac per omnem vicum verberibus agebat. Quod genus poenae — ut in ill. Schmidii historia Germanorum legere est, — *S. Bonifacius* suo adhuc tempore apud Saxones obtinuisse, scribit, qui hoc non contenti, capit is etiam, ut plures Germanorum populi, in adulterio deprehensas damnabant.

Veteres profecto Germanos non tam leuiter quam alias in cultas gentes, ex quibus Saracenos nominasse sufficiat, de matrimonio

\*) Idem fecisse Cennos, Celtarum gentem, auctor est Dio Cassius in excerpt Valef. L. 77. Τετω — Cennorum puta — γυναικες αλησσαι απο των Ρωμαιων, ερωτησαντος αυτος τη Αυτωνοι, ποτερον περιθναν η φορευθησαι βιβλισται, των ειλογοτε επειτη περιποληθεισαι, πιστη μη ειναι, ποτε δε αι και τη τεκνη απεκτειναι.

monio cogitasse, certum est. Hienim, teste *Ammiano Marcellino*,\*) uxores ad tempus tantum conducebant, quae quidem, ut iusto matrimonio, non Venere vaga iungi viderentur, dotis nomine maritis haftam & tentorium offerebant, ab isdem vero, si minus sibi probarentur, iterum discedebant. Ipse *Tacitus*\*\*) testimonio satis honorifico commendat Germanos, quod religiosa sanctaque ipsis fuerit matrimoniorum custodia. „*Suera illuc matrimonia; nam prope soli barbarorum singulis vxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.*“ Quin post multorum adhuc seculorum decursum, auctores *Speculorum*, Papae id adeo potestatis tribuunt, ut si quis Imperator coniugem deseruisset, excommunicationis sententia eum posset ferire.

Germani, in facinorum vindicta alias mitissimi, mores impudicos grauiissimis poenis coercuerunt. Corpore infames, raro effugiebant supplicium. *Publicatae pudicitiae*, vt ait Tacitus, nulla venia. Qui re etiam factum est, ut tori sociam, quam raro apud exteris, semper pene apud populares quaererent, sibi delecturi, formae elegantioris, iuuenturis, diuinarumque — ignoti apud eos nomini — non tantam, quantam morum innocenciae, haberent rationem. *Nemo illuc vitia ridebat, nec corrumperet & corrumpi seculum vocabatur.* Tac. \*\*\*) Sane tantum absuit, ut Germani nuptiis opes quaererent, vt potius in libris chronicis

\*) Hist. lib. 14. c. 3.

\*\*) De mor. Germ. c. 18.

\*\*\*) In primis hoc referenda verba illa *Locennii in Antiq. Sueo-Goth.* lib. I. c. 1. „*Mos in boreali gente inualerat, ut tunc illustres iuuenes, praesertim regii sanguinis, non externo decore turpius lasciuia, aut ingenti vi pecuniae, sed dote animi pulcro facinore spectata, sibi regiarum & generosarum virginum nuptias conciliarent.*“

cis etiam medi⁹ aei⁹, virginem emere & virginem vxorem ducere, vno eodemque sensu occurrant. Ita. vt vno alteroue tantum exemplo ad eam rem comprobandum vtar, in fastis *Limpurgensi⁹ us⁹* haec verba leguntur: *Die eine Tochter Johanna kaufte Herrmann za Hessen; die ander Tochter kaufte ein Herr von Henneberg in Sachsen Land.* Mebr denn zwanzig lab⁹ nach *Graf Johann (von Nassau) Tode kaufte der Junker Philippus ein Weib von Spangenber⁹;* vt illa taceam, quae Saxonum Burgundionumque leges multo antea ea de re constituerunt. Totam vero illam uxorum coemtionem imaginariam, solennitatis tantum caus⁹ factam fuisse, vt tanquam arrha & vinculum matrimonii esset futuri, & tironibus notum est.

Quamvis vero ista erga feminas obseruantia, in bonos nationis mores, qui plus ibi valebant, quam alibi bonaes leges, transiisse, maritosque affabiles, benignos, liberales, honoris libertatisque audiſſimos reddidisse, tamen ab ipsa etiam religione aliquid praefidii eam rem mutuatam esse, infitias ire nemo potest. Diuini enim futuromque praefagi aliquid ineffe creditur feminis, & ob id ipsum confilia earundem spernere aut praecepta eorum negligere non facile sustinuerunt. Et quot quaeſo fuerunt, qui *Veledam*, celebratissimam illam inter *Bructeros* virginem, diuino tere honore proſequerentur? *Veledam* dico, cui nationes ad Rhenum inferiorem positae, in rebus grauiſſimis eo ipso tempore morem gesserunt, quo, ne Romanorum imperata facere cogerentur, cruentissimis proeliis decertarunt. Et quanta fuit reverentia, quam multo ante habuerunt *Aurinia*, *Gunnae* & quibusdam aliis, quarum faridica arte ipsi Romanorum imperatores vti non dubitarunt. Quantae autem feminarum fuerint partes in rebus ad rem publicam pertinentibus, memoratu dignissimus apud *Polyaenum* exstat locus. \*) *Celti — quo nomine Germani*

\*) Καλτούσασι την εργαλείος ηδη δε παι τη πολεμον απλισμένων, ας γυναικες μετωνυματικά ήταν παραδίδονται τη συκλοπευτική διήγηση, και διεργάσια, ως τους ανδρες φέρεται.

mani etiam comprehenduntur — intestina seditione laborebant.  
 Qui quum iam ad bellum arma fuisse sicut, uxores eorum se inter medias acies opposentes, criminis deprecabantur, & transegerunt, ut viri in gratiam redeentes, litem deponerent. Et viciatim, oppidatimque in posterum, si quando Celte consilium inueniunt de bello, de pace, aut etiam alius, quae communiter ad ipsos aut ad socios pertinent, singula de mulierum sententiis administrantur. In foederibus igitur cum Annibale factis continetur, si de Carthaginensibus Celte conqueruntur, equitum praefectos & duces litem direnituros: si de Celte Carthaginenses, iudicaturas Celorum mulieres.

Atque ob id ipsum nemini mirum videbitur, quod illa feminarum in rebus ad ciuitatem religionemque spectantibus auctoritas, sensim sensimque ad superstitionem flexerit gentis animos.\*)  
 Fuerunt inter illos quaedam gentes, a quibus feminae, penes quas erant vaticinia & sacrificia, nunquam discederent. Quo factum, ut Ariouissus, Sueorum rex, quum feminae, quas diuinata-

γενομένης διαλλογής ποιεῖσθαι, καὶ πόλει σίκης καὶ κατὰ πόλεις αὐδίς εἰποτε  
 Κελτοὶ βαλανεῖσι παλέρι περὶ καὶ εἰρήνην, η τὸν αὐλαν σοῦ κοινα πρὸς αλλῆλοι,  
 οἱ τοις σούμιχοις εὐαριστοὶ γάρ θν γυναικῶν εἴβραβεντο· εἰ γνω  
 λιας πρὸς Ανδραῖον συνδηκαὶ γυγγανται, Κελτοὶ μὲν εὐκαλύπτων Καρχιδίους,  
 τοὺς Καρχιδίους ἵππαζοι καὶ σφαγαζοι εἰδοῦσι· οὐ δὲ Καρχιδίους Κελ-  
 τοῖς εὐκαλύπτοι, τας Κελτών γυναικας δικαζειν. Strategem. lib. 7.  
 cap. 50.

\*<sup>3)</sup> Αποτελει γαρ της διεργαμονος αρχηγοις εινται τας γυναικας αυται δε και  
 της αρχης προκαλεσται προς της επιτάλιου διεργατης των Σιριων, και εορτασε  
 και πονησανται — Tantam matronae Getaeum religionis habuerunt  
 emram! — σπανιοι δε ειτι γνω καδ' αυτοι ζων ευγνωμεναι τοιοτος. Strabon  
 Geogr. L. 7.



uinationis causa secum duxerat, ipsi interdicerent, ne ante or-  
tum nouilunium decernerent, occasionem exoptatissimam cum  
Romanis, *Iulio Casare* duce, deproelandi, e manibus cripisibi  
pateretur. \*)

Quodsi victores obsides Germanis imperarent, virgines no-  
biles, vt pote firmissimum datae fidei vinculum, ad eam rem sibi  
expetierunt. Pari modo Germani, ad praeclara facinora suos  
excitaturi, vel hostium ferocissimum quemque in acerrimo vi-  
ctoriae cursu remoraturi, seminarum ministerio vbi sunt. Sic  
*Druſo*, sanguinem gloriamque sipienti, quum in ultima ac cele-  
bratissima, quam suscepserat, expeditione, per Cattorum fines  
fagorumque filiam ad Visurgim vsque penetraſſer, femina occur-  
rit, his verbis vfa: „Quo pergis Druſe! cupide & inexpelibilis.  
Non enim potes haec omnia ex fatis videre; quam ob rem recede,  
nam tibi iam adeſt exitus vitae, & rerum quarum omnium.“ Ex  
qua siue vera siue ficta, — forſan ab ipſo Druſo ad purgandum  
reditum excogitata — fabella, id certe efficitur, magniſuſe fe-  
minarum apud Germanos in rebus grauiſſimis operam.

Maxima igitur fuit contumelia, qua *Gotbi* olim, quum *Beli-  
ſarius* signa victoria *Rauennae* inferret, ab vxoribus suis adfecti  
funt, quippe quae, quod a Romanis, corpore & omni omnino  
externa specie exiguis, vinci non erubuerint, ora maritorum  
ſputo respergerent. Quod seminarum probrum, hiftoria teſte,  
acrius illos momordit quam Romanorum tela; ea enim re exci-  
tati

\*) Hoc Clemens Alexandrinus Strom. lib. I. haud obscure tangit his ver-  
bis: Εἰσὶ δὲ καὶ πάρα Γερμανοὶ αἱ ιψαὶ παλαιότεραι γυναῖκες, αἱ ποτε μονῶν  
προβλεποῦσαι, καὶ εὐοικτῶν ἐληγυνῶν καὶ ψοφῶν, τεκμαροῦσαι καὶ προβλεποῦ-  
σσαι τὰ μελλοῦσα. αὐταὶ γαρ εἰς εἰσαγωγὴν τοῦ πατρὸς Θεοφίδαι πρὸς Καισαρί-  
αν τοῖν επιδιαμνύσαι Εἰλαντην τὴν νεαν.

tati sunt, ut si non victores, tamen expugnatores Romae, plaque ne ita, ut Germanos decuit, duce Totila occiderent.

Sane, si omnium temporum historiam animo perlustraueris, haud facile tibi praefecto erit gens, in qua honor generi feminino habendus, tam sancte ab omnibus praestitus sit, quam inter Germanos. Hinc etiam in calidores regiones ad populos dissolutissimos translati, & in omnibus aliis rebus ab inginita sibi morum integratissima degeneres facti, tamen, si vel diutissime inter Romanos degere coacti essent, fidem feminis datam incorruptam seruarunt; & post complura deum secula, ex permixtione cum aliis gentibus externae labis non nihil contraxerunt. Fuerunt quidem, non nego, quaedam de matrimonii inter illos constituta, que modum excederent, at eadem impediisse scimus, quoniam nus sanctissima illa vincula tam facile, quam alibi, possent dissoluvi. Laudi igitur Varnis, Germanorum genti, duco, licet nimis rigidus iste illorum mos censendus sit, quod de iisdem praedicat Procopius: „tanta bonae pudicitia apud barbaros colitur, ut femina, de cuius nuptiis actum est, etiamsi corpore sit integra, pro corrupta habeatur.“ Quin ne morte quidem sponsi, sponsae in eundem officia cessarunt, adeo vt legibus in eum animaduerti posset, qui virginem, alii despontatam, matrimonio sibi iungaret. Nec tam facile quam inter alios v. c. Romanos, sponsalia rite facta dissolvi ibi poterant. *Nisi ob stuprum — ut habet Procopius modo laudatus — barbari illi non dimitunt sponsam.*

Fuerunt haud pauci, qui Germanos reprehenderent, quod hereditate fundorum excluderent filias. Mihi secus videtur. Nam illa ipsa re cauere voluerunt, ne externis rationibus, sed tenerimo solum animi affectu ducti, matrimonium inirent, quod quidem complures eorum leges fatisclare innunt. Quid enim? Nonne ipsa famigeratissima illa lex Salica — LL. Sal. Tit. 62 — hereditate aviatica feminas priuans, pro ea re militat? meo qui-



dem iudicio nulla alia ratione lata, quam ut virgines, non opibus atque diuitiis, sed veris solummodo virtutibus, inueniuntur peccato expugnarent. Errare igitur mihi videtur *Marculfus*, confundit enim illam *inopiam* nominans, quam contra, morem per plura secula huic nationi proprium, nec laude sua fraudandum, puto. Inde factum est quoque, ut apud Germanos non vxor marito, sed maritus vxori dotem afferret, eamque dotis constitutionem posterioribus seculis litteris firmaret, quod medio etiam aevo praeter *Ottavem* <sup>11.</sup> \*) *Henricum II*, *Henricum IV*, alias, praecepit *Henricum acutum* celeberrimis illis tabulis, quae vixori *Matildi*, *Quirilingaburg*, *Palithi*, *Nordhuisam*, *Gronau* & *Duderstede*, dotis nomine in*ius proprium* commendant, fessisse, satis notum est. Ac ne quis existimet, apud Germanos tantum, utpote rudem omnino incoltamque gentem, id moris fuisse, in vetere Graecia quoque, genii ac moris eleganteris matre, vestigia eius rei haud obscura deprehendimus. *Lycurgus*, celeberrimus ille Spartanorum legislator, tam nobilem eius instituti rationem reddit, ut gloriari nobis licet, maiores nostros in eadem cum limatissimis, quae vñquam tulit aetas, ingenii, sententia fuisse. \*\*) Ipsum age audiamus. *Ne vel ob inopiam aliquae manerent iniuptae*, — respondit, interrogatus, cur virgines sine dote nuptum dari iussisset? — *vel propter opes expeterentur*: *sed quintis in mores puellae intuens virtutem in delectu sequeretur*. Ita, quod *Lycugo* placuerat, Germanis vsu venit.

Quoniamque haud raro factum esset, ut Germani, sponsarum forma supra modum capti, nimia in ea re liberalitate vterentur, et nullam

\*) Cuius pro coniuge *Theophania instrumentum datile*, tabularium *Ganderhheimer* etiamnum seruat.

\*\*) Οπεις μητρὶς ἐνδεικνύουσι την παῖδας εὐθυγάτορι, μητρὶ διὰ περιπολίας σπουδαζόμεναι, επιφέροντες δὲ εἰς τὴν τράπεζαν της παῖδος αφοροῦν αἱρέτη, την γάρ τοι πειρατεῖται. *Plutarach.* in *Lacon.* aoroph. T. II. Op. p. 227.

nullam omnino — quod plerorumque amantium mos est — rei familiaris haberent rationem, apud complures nationes lege cautum erat, ne modus facultatum in constituenda dote excederetur, v. g. apud Visigothos, vbi sponso maiorem decima opum parte dotem offerre non licuit. Contra vero etiam in eum, qui vxorem dotare neglexisset, medii aeuī temporibus poenitentia publica animaduertebatur. Maximum sane argumentum Germanis curae cordique fuisse, vt vxori etiam post mariti obitum honeste et liberaliter vivere liceret. Ob quod ipsum peculiaribus nonnumquam feudis in casum viduitatis, refutantibus maritis, inuestita est, quorum etiam si pars tantum in vidualitum ipsi fuisset attributa, liberum illi eiusdem augendae fuit arbitrium. Et quis est, quem fugiat, quam largae sint portiones illae statutariae, quibus etiam in pluribus Germaniae provinciis, ex decreto legum ibi receptarum, viduis propisci solet, quippe quea nunc solidam successionem, nunc dimidiam honorum omnium partem, nunc eandem cum liberorum quolibet portionem, nunc — vt *Francofurti* — dulcissimis illis pueritiae meae incunabilis — totius hereditatis vsumfructum accipiunt. Idem Francofurentes lege sanxerunt, vt si quis maritus vel aduersa fortuna, vel luxu atque intemperantia eo reciderit, vt concursus creditorum emergat, ante creditores vel maxime pruilegiatos ipsosque pupillos, quibus alias mire patrocinantur leges, viduae, respectu dotis illatae primus locus deferatur. In *Saxonia electoralī* viduae nobilis arbitrio permittitur, vtrum dotalitium — si in pacis coniugalibus nihil super ea re sit constitutum — poscere, an portionem statutariam viduarum civicarum accipere velit. Quodsi prius elegerit, praeter dotalitium ipsa cibaria — *Musteil* — et superuita — *Eingeschneitel* — illi tribuuntur. Quid? quod in *Holsatia* viduae nobiles per annum et diem post obitum mariti, omnibus ex viuenter eiusdem praediis redditibus fruuntur, dimidia parte pecorum, pecuniae paratae et quicquid rerum mobilium duran-

te matrimonio partum est, potiuntur, nec non illata et donatio-  
nem propter nuptias pleno iure acquirunt; quod *ius fasciae ca-  
pellaris* seu *Huvenbandsgerechtigkeit* appellant. \*)

Verum non viduis solis, sed filiabus etiam prospiciunt Germanorum leges. Si enim, ut alia ex opima matris viduae conditione ad ipsas quoque redundantia emolumenta faciem, viti-  
mus vasallus vita decebens, filias bonis allodialibus substitutas re-  
liquebit, ex pactis et obseruantia curiarum clientelarum deter-  
minata fors instar dotationis, et quamdiu innuptae sunt, eius-  
dem vsurae loco alimentorum ex feudis adeo ipsis largiuntur.  
Et quid de *Megopolitanorum* legibus dicam? quae filiabus et ex  
filio neptibus vasalli, sine prole virili demortui — huic enim, si  
adest, onus alimentandi subeundum est — ius in feuda usufru-  
ctuarium vocabulo *Erbjungfernrecht* in tabulis eorum insig-  
nitum, ad dies vitae concedunt. Et quamvis dubio prorsus ca-  
reat, ex iuris germanici antiqui & medi placitis sorores a fra-  
tibus saltem, in successione in bona avita fuisse exclusas, idque  
nec ab hodierni aevi moribus illustres inter ac nobiles alienum  
sit, easdem tamen, divisione totali facta, agnatis etiam remotioribus  
praelatas fuisse, ex iuris germanici medi aevi de divi-  
sione honorum principis, ipsaque praefatae divisionis natura fa-  
tis constat; imo sunt, qui ex rationibus haud spernendis femi-  
nas iure germanico indistincte remotioribus agnatis in successione  
praepositas fuisse statuant. \*\*)

Nec minus munificos in sponsas se praebuere Germani, sed  
et post primam coniugii noctem, quo tempore, mane, laeti  
ob

\*) Sin vero — sunt verba Perillustris ac Generosissimi Liberi Baronis de  
Selchow — praedia non habeat maritus, usurae annuae omnis pecuniae  
foenbris viduae adjudicantur.

\*\*) J. J. Reinhard, von Erbfolgsrechte der Töchter vor den entfernter-  
en Stammsvertern in deutschen Reichsalodien, Gießen 1746. 4.

ob adprehensam a suauissima coniuge tori coniugalis possessio-  
nem, illud muneris, quod *Morgengabam* dicunt, ipsis offerebant.  
Hic modum liberalitatis plerique nesciebant, et maximam patri-  
monii partem novellae coniugi donaturi fuissent, ni leges, certe  
apud nonnullas gentes, modum certum posuissent. Quicquid  
vero *Morgengabae* nomine feminis esset oblatum, si certa specie  
contineretur, nec pacta peculiaria dominium restringerent, ple-  
nae et absolutae earundem potestati erat permisum, ita vt illud  
vel vendere, vel aliis rursus donare, vel oppignerare, denique  
pro arbitrio ea re vti possent. Die Frau — vt in Spec. Sax. Lib.  
5. art. 10. — erbet die *Morgengab* auf ihre Erben, vnd mag da-  
mit thun vnd lassen was sie will. Ab hoc primum tempore —  
nachdem die Decke beschlagen war — quae antea despontata tan-  
tum diceretur, vxor appellari coepit. Quin in sequenti etiam  
tempore, quum ἱερολογιας ecclesiasticae mos iam inualuisset, quae  
sacro ritu nuptum alieni locata esset, non prius quam post con-  
fessionem thori ad nomen vxoris et iura inde pendentia adspiri-  
rare potuit. Sie wird seine Genossin vnd tritt in sein Recht —  
wenn sie in sein Bett tritt. \*) Nec defuerunt, nec adhuc de-  
sunt leges, quae corporum etiam commixtionem, imo grauidi-  
tatem vxoris, ad horum iurum effectum, requirent. \*\*) Nam  
et si proceres, ad exemplum vel ipsius Imperatoris Maximili-  
iani I. a. 1474. Mariam Burgundicam ducentis, per legatum  
aut procuratorem virginem sibi iungendam curasent, stragulae  
lecti, in quo sponsa requiesceret, pedem subdere hunc oportuit,  
vt

\*) Ius Pron. Sax. Lib. I. art. 45.

\*\*) et adhuc requirent, e. g. Francofurtenses, quae fanciunt: Dass alle  
Paña und Geding so in den Heurathsbriefen abgeredet worden, anders  
nicht für kräftig sollen gehalten werden; es seien dann beide Ehegemahle  
öffentliche zur Kirche gegangen, Ehelichen beigelegen, darauf  
einander Beizwohnung gehabt, und also rechte Eheleut worden.  
Ref. Moenofrancof. P. 3. tit. 3. § 5.

vt lepidissimam illam historiam Friderici III. cum Eleonora silentio praeteream.

Quicquid sit, id certe ex ea re patet, Germanos coniugii vinculum, rem esse seriam, ideoque, quantum eius fieri posset, caute, follicite et religiose peragendam existimasse.\*). Et tantum abest, vt mores nationis ea re infamari possint, vt potius hoc ipso aeuo, eos, qui cum mulieribus conuersarentur, pudoris leges minima tantum ex parte migrare, religioni sibi ducere oportuerit. Cuius rei exemplum est Barbara, Electoris Brandenburgici filia, ducis Mantuanorum coniux, adeo verescundiae studiosa, vt litteris

\*) Quem magnum et tantum non nimium fauorem, quo Germani matrimonia prosequuntur sunt, et id testatur, — verbis Perill. ac Generofissi. L. B. de Selchow in §. 410. aureorum eius elementorum iuris germanici priu. extantibus, vtor — „quod caelibatum magno odio habuerint, acetatemque legitimam praestituerent, intra quam quis matrimonium inire teneatur, quae plerumque quinquaginta annis absoluebatur.“ Hinc ius illud *hagestolzatus*, s. ius fisci hereditatem defuncti hagestolzii capiendi, hinc nos hereditatem defunctae caelibis decrepitae also forestali assignandi, secundum bellissimam illam paroemiam: die alte Jungfern gehören dem Oberjägermeister wie die Hirschhäute. Quod ius hagestolzatus in quibusdam territoriis contra viduas adeo, intra certum tempus matrimonium haud iterantes, exercetur; de Württembergico ducatu hoc testante Schottelio c. I. §. 21. Quod enim, in quibusdam territoriis, certa pecunia pro concessione matrimonii iterandi soluenda est, exceptionem constituit, nec regula generalis inde deriuatur. Causa concessionis imperatae testimonium in praefectura Giebichenstein, qua consensus similiter est redimendus, Stechſchein, Stockzettel appellant, cf. omnino L. B. de Selchow Elem. iur. german. §. 435. not. 2.

Litteris a. 1464. ad patrualem suum electorem Brandenburgicum datis, filiam suam quatuordecim annis natam, duci *Mediolanensi* nuptum dari potuisse ideo neget, quoniam *is sponsam denudatam per medicos suos inspici voluerit.*

Omnino id laudis Germanorum nationi tribuendum est, matrimonii vincula nullo *vmquam* tempore lusum iocumque illis visa esse, quo factum est etiam, ut sine consensu parentum iniri numquam possent. Quod quidem, ne *Vestra, Auditores!* patientia abutar, nubem enim legum scriptorumque id probantium excitare in proclui esset \*) — vnico tantum loco ex Capitularium libro 7, confirmare in animo est. En verba ipsa, *Decretum est,* ut *vxor viro legitime iungatur: aliter enim legitimum non sit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam foeminam dominationem habere videntur, vxor petatur, & a parentibus & propinquioribus despontetur.* Nec patris solum sed matris etiam consensum requirabant, ut rite peractum videri posset matrimonium. Quod ipsum tanquam nouum argumentum adhiberi potest, quantae apud Germanos feminarum in rebus grauisimis fuerint partes. Idque non magis ob leges, matris potestatem in liberos tuentes, quam ob impensum in easdem amorem fecerunt. Quodsi vero accidisset, ut omnia ista a *reoyauis* susque deque essent habita, coniugium tale illegitimum statim soluendum curarunt. \*\*) Nec

\*) cf. *Rothan*, cauillarum patroni apud Francofurtenses celeberrimi, *Diss. inaug. de materna potestate Germanorum in liberos*, Goett. 1772.

\*\*) Sic in *Gregorii Turonensis hist. Franc.* c. 33. l. 9. episcopum quandam *Burdigalensem* matrimonium, quod per triginta integratos annos durasset; ob spretam parentum confessionem rescidisse, eiusque decreti ita rationem reddidisse, legimus: *qua sine consilio parentum eam coniugio*

Nec nostris diebus desunt leges prouinciales, ex quarum decretis non solum matrimonium, cui consensum denegarunt parentes, etiam si copula sacerdotalis affuerit, pro illegitimo atque irrito, verum etiam — ut saltim apud Solmenses moris est — liberi ex illo procreati pro spuriis haberentur. Et quem fugit, ex iure prouinciali apud alios alio, parentes liberis sine contentu ipsorum matrimonium ineuntibus, legitimam vel totam, vt in Hassia nostra, Bohemia, Holsatia, terris Gothanis & Nassoiis aliasque, vel dimidiam eius partem ut apud Bauaros, Cliuienses & Brunsvico Luneburgenses vsu receptum est, poenae loco posse adimere?

Quocunque igitur oculos nostros in dulcissima Germania nostra converterimus, manifesta honoris sexui feminino habiti reprehendimus vestigia. Quod si fecerit alicubi fiat, ex nimio, quod maiores nostri durante medio aeuo Romanorum iuri statuerunt, pretio id repeti debet, \*) Bellicofissimi sane gentis nostrae imperatores, qui id solummodo egisse videntur, ut regni fines quotidie proferrent & nationes subigerent, in legibus a se lati sexui sequiori optime prospexerunt. Sic a Carolo Magno non solum id cuique permisum, ut ex quocunque regno vellet, vxorem duceret, sed

*copulasti, non erit uxor tua.* Quid? quod in synodo Dingolfiana Thaifilensis a. 772. a congregatis episcopis & Boariae proceribus Bauarorum matribus id iuris concessum est, ut filiae cum seruo contubernium, ante duos & quod excedit annos initum, possint dirimere cf. Venerabilis Georgiae Augustae Antecessoris Ricci Spicileg. ad Evangelii I. G. p. 432.

\*) Sic v. g. in praefectura Onoldiensi Geralron peculiare illud servitutis genus obtinet, ut patris liberi, matris vero seruae, filii quidem, sed ii soli, filiae vero cum omni futura muliebri stirpe siant mancipia. Verum inhumano ita mori natura ipsa constituit terminum!

sed feminis etiam concessum est, ut etiam si in alieno regno cum viris degerent, ius tamen in bona tenerent. Multo alter Clotari II. temporibus factum est, quibus viduis diuitibus virginibusque opulentis, semper timendum erat, ne regia praecceptione viro, quem neque noscere vellent, iungentur.

Superbis Romanorum legibus cautum erat, ne feminae, nec in propria nec in aliena causa aliquem coram iudice possent accusare, nec iurisdictionem nec iudicium haberent, nec ad munera publica admitterentur, aut aliquo modo ad rem publicam accederent. Forum ipsis erat clausum, templa tantum, sed iis solis, quae dulcissimis gaudis nuntium mitterent, aperta. Longe alter apud Germanos! apud quos mulieres, quas non minus reverentur, quam diligunt subditi, in maioribus ac minoribus regnis, ad gubernacula reipublicae sedent; aequae ac viri illustres in comitiis imperialibus de salute Germaniae consultandi ius habent, summis in ecclesia & ciuitate muneribus funguntur, Abbatissarum, Praepositarum, cum & sine potestate territoriali, dignitate emascuntur, ita medii aevi temporibus solenni ritu feudis inuestiebantur, quae ad summorum principum, quin imperii \*)

## C 2

Officia

\*) Cui rei non aduersatur sententia Henrici VI. qua a. 1230 definit; „quod nulla virgo vel mulier in voto quatuor officiorum principalium, scilicet dapseri, pincernae, camerarii, marchalli ratione hereditatis fratri suo succedere posse.“ quippe quae magis respicere videtur successione sororis ministerialis. In registro Prumiensi in Hontheim hist. dipl. Treuir. T. I. p. 668 expressis verbis dicitur; „si quis ministerialis ecclesiae obierit & non filium sed filiam de familia ecclesiae superstitem reliquerit; Dn. Abbas de bona & pia consuetudine potest eam de feudo patris sui infseudare. cf. Perillustris G. L. Boehmeri Obs. Iur. feud. p. 139. seq. ed. nov.



officia aulica maxime insignia aditum parabant. Et quamvis  
 notissima res sit, ecclesiæ & communia illis temporib⁹ in defe-  
 rendis aduocatiis opum & dignitatis præcipuam habuisse ratio-  
 nem, nec nisi potentissimos principes, Aduocatos tutoresque sibi  
 sumisse, tamen historia non caret exemplis, Abbes summe  
 venerabiles, aduocatiam ecclesiæ feminis mandasse, vt quām  
 votis religiosis ab omni eorum confortio essent seclusi, nonnul-  
 lam tamen cum his generis humani deliciis rem haberent. In-  
 expectata sane sed omni laude digna harum rerum mutatio! An-  
 tiquioribus enim temporibus tantum absuit, vt in tutelæ vel im-  
 perii societatem venirent, vt ipsæ potius, quoad viuerent, sub  
 tutela essent. Nunc vero historia teste, tutelas gerunt, cui rei  
 etiam in primo & secundo gradu lineaæ ascendentis, Germano-  
 rum leges easdem in primis præficiunt, *vicariam* imperii curam  
 habent, vt v. c. *Theophania*, quae tutelam imperii & filii *Otto-*  
*nis III.* habebat; iura, alias ad imperatores solos pertinentia,  
 veluti ius primiarum precum, exercent, ecclesiis maxime in-  
 signibus patrocinantur, quod quidem officii earundem antistites  
 iubentissime illis tribuunt. Exemplum huius rei est *Henricus*  
*Abbas Haecmundensis*, a. 1226. aduocatiam ecclesiæ Egmun-  
 densis *Wilbelmo de Egmunda* hac ratione reddens; quod si *idem*  
*WILHELMUS* sine filio legitimo decesserit, *FILIA SUA NATU MA-*  
*IOR* *praedictam aduocatiam*, cum toto *praedicto feudo recipiat*; quod  
 si nec *FILIAM LEGITIMAM* babuerit, *frater suus senior legitimus*  
*successor in eadem aduocatia & dicto feudo statuatur*.“ Elegans sane

Abbas,

Abbas, multo etiam elegantior sine dubio, nisi seueris ordinis  
regulis fuisset adstrictus!

Quin & proceres imperii saepe feminas, imperii socias sibi  
sumfuisse, & si ipsi absentes esse cogerentur, vicariam terrarum  
suarum procreationem illis mandasse, notissima res est. Certe  
Otto III. quum Romae versaretur, dignorem reperire non po-  
tuit, cuius fidei imperii curam traderet, quam magnam *Ottonis*  
*Magni filiam, Matildin*, cuius sapientissimae principis sceptrum  
exosculati sunt omnes regni germanici ciues. Et nuper admo-  
dum fuit, quam seminarum illa longe praestantissima, diuini IOSE-  
PHI mater, immortalis *Maria Theresia* Elektorum collegio esset  
adscripta. Glorientur de feminis suis illustribus Germani, glo-  
rientur inquam, quorum ex gente ortum dicit illa, omnium,  
quotquot per totum, quam late patet, terrarum orbem imperi-  
tant, nostris temporibus facile princeps — *Catharina II.*

Nemini igitur videbitur mirum, Germanos muliebri sexui  
tantum honoris habuisse, vt grauissimarum saepe, quae inter il-  
los agitantur, litium arbitrium ad feminas detulerint. Sic in  
historia patria, maxime illa inter omnes insigni, & vt nunc FRI-  
DERICI & WILHELMI, sic omni tempore magnorum princi-  
pum nominibus superbiente, nec filiarum Serenissimae domus no-  
strae defunt exempla, \*) ad quarum in rebus maxime ambiguis di-  
judicandis sapientiam comites affines consugerunt, nec filiorum

C 3

sacra-

\*) cf. Anonymi chronicon Waldeccense in *Hahnii Collect. monument.*  
vet. & rec. Brunsv. 1724. T. I. p. 815. seq.

sacratissimae stirpis eiusdem, qui in maximi momenti rebus, principis necessitudine iunctae, laudo matrimoniali, lubentissime paruerunt.

Quum *Henricus III* cognomento, *Fortis*, & *Ludouicus* fratrī  
*Ottonis* nepos, aeterno illo pactō inter se transegissent, vt nū-  
quam in posterum Hassia bipartito aut tripartito diuidideretur, sed  
vni semper principi subiecta esset, & quo pactō istud omnibus  
bonae frugis Cartis exoptatissimum confilium exsequeretur, diu  
multumque, sed frustra cogitassent, tandem conuenit inter illos,  
vt vtrī *Elizabetba*, *Friderici*, Landgrauii Thuringici & Marchio-  
nis Misnici, filia lectissima veller nubere, solus ille in vniuersam  
Hassiam, exigua tantum parte alteri concessa, imperium haberet  
& in posteros quoque hereditate transmiseret. Accepta vtrī  
que conditione ad virginis patrem proficiscuntur, a quo erekti  
suspensique filiam dignam fane, propter quam vota fundenda,  
ambo in matrimonium petunt. Quae quum vna cum imperio in  
terras Hassiacas *Henrico* obtigisset, *Ludouicus* fidem quidem fer-  
uans, sed repulsa contristatus, *Grebensteinam* concessit, quo loco  
non ita multo post *Margaretham*, Comitem Spangenberga, duxit  
vxorem. Tali modo duo principes se suaque mulieris permis-  
serant arbitrio, & quidquid erat in Hassia ciuium, compromitten-  
tem & compromissariam miris tollebat laudibus, vtriusque enim  
delectus votis eorum ex aſſe respondebat, felici tamen succellu-  
carens, quum matura vnicī, quem genuerat *Henricus*, filii *Otto-*  
*nis II*, qui Spangenberga veneno hausto interiit, Hassia Herr-  
manno

*manno III, Henrici III cognomento fortis, ex fratre pronepoti cederet, \*)*

Lubens materiae huic immorarer, nisi me suauitate argumenti nimis captum & qua dicentem dignati estis, Viri suis quisque nominibus condecoratissimi! indulgentia excitatum, limites eiusmodi oratiunculae praefixos, iamjam egressum esse viderem. Nil igitur nunc superest, quam vt Vos, *Viri Speciatissimi!* ea qua quemque decet pietate & obseruantia orem atque obtester, vt tumultuariam hancce opellam ab adolescente, meliora forsitan adhuc datur, profectum esse cogitatis, naeuisque in ea occurentibus deris veniam. Quod si feceritis felicem me, fausta que omnia nunquam non existimabo.

\*) cf. I. H. Schroeterus de origine Hassiae Landgraviorum in E. I. de Westphalen Monument. ined. rerum Germ. T. II. p. 1457. seq.









Marburg, diss., 1773-  
8

ULB Halle

005 359 880

3







10  
16  
dic  
e a  
r,  
d  
p  
are  
ill  
15  
pro  
pro  
pi  
pr  
2. p  
oro  
l.  
pr  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches  
  
DE  
GERMANORVM ERGA FEMINAS  
OBSERVANTIA.

1784. 1.  
LECTIO VI VOCANT CVRSORIA

DISSERTATIONI IN AVGVRALI  
PRAEMISSA

E T

22  
IN SPLENDIDO  
DOCTORVM MARBVGENSIVM  
CONSESSV

RECITATA

A

IOANNE FRIDERICO PLITT.

MARBVRGI CATTORVM  
EX OFFICINA BAYRHOFFERIANA.

1784.

